



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. II. Vtrum Christus sit subiectus sibi ipsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

QUESTIO XX.

De convenientibus Christo secundum quod Patri fuit subiectus.

ARTICVLVS I.

Utrum dicendum sit Christum esse subiectum Patri?

RESPONDET Christum tripliciter Deo Patri fuisse subiectum; scilicet secundum bonitatem, seruitutem, & obedientiam. quia secundum humanitatem, habuit bonitatem creatam & participatam, secundum quam subiectus fuit Deo habenti in creatam. 2. in Scriptura saepius vocatur *seruus*. 3. ad Philippens. 2. dicitur *filius obediens*.

In solutione primi monet esse convenientius dicere Christum esse subiectum Patri secundum humanitatem quam sine vilo addito; propter periculum Arianismi, ne videlicet videatur significari quod sit subiectus secundum naturam diuinam: vbi tamen tale periculum non subest, videtur posse dici absolute, *Christus est subiectus Patri*, & minor Patri: quemadmodum in simili supra dictum est q. 16. in dubio circa art. 8. posse vocari creaturam.

Ratio est, quod per huiusmodi propositiones non necessario significetur ipsum suppositum secundum se Patri subijci, sed secundum aliquam suam naturam: in Christo autem est natura humana, quae verè est minor Deo eique subiecta.

Conf. 1. Christus potest absolute dici mereri apud Patrem, eidem obedire; ergo simili modo potest absolute dici subiectus Patri.

Conf. 2. potest dici, *est subiectus Patri secundum naturam humanam*; in qua propositione particula addita non est alienans aut diminuens, sed solum designans vel specificans naturam secundum quam illi conuenit subijci: quando autem ita se habet particula, si propositio cum addito sit vera & possit concedi, potest etiam admitti sine addito; ut patet ex philosophia. Et ita de hac propositione, *Christus est subiectus Patri*, sentit Suarez disput. 43. sect. 4. Valq. disput. 80. cap. 1. num. 4. Videri etiam potest Medina hic.

Non tamen debet dici minor Patri sine addito: quia per illam propositionem, nisi aliud colligatur ex circumstantijs, dicitur aliqua inaequalitas ipsius personae respectu alterius, quod falsum est in Christo: quae inaequalitas non ita denotatur cum dicitur, *est subiectus*, sed solum quod habeat voluntatem aliquam inferioriorem.

In responsione ad 3. explicat illum locum Apostoli prioris ad Corinth. 15. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei qui subiectus sibi omnia; censetque designari Filium perfecte subijciendum, non tantum in se, sed etiam in membris suis: quae expositio est etiam variorum aliorum. Videri potest Ambros. lib. 5. de fide cap. 6.

Videtur tamen conformior textui quorundam aliorum expositio, qui volunt designari quod Christus tunc manifestè apparebit subiectus Patri, quando regnum suo sanguine acquisitum coram omnibus Patri reddet: cum enim dixisset Apostolus, *omnia subiecta sunt ei*, scilicet Christo; ne quis existimaret Deum eidem esse subiectum, statim addit, *sine dubio prater eum qui subiectus ei omnia*. imò, cum subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei qui subiectus sibi omnia; non quod antea non fuerit subiectus secundum naturam humanam, sed quod tunc palam omnibus innotescet illum Patri esse subiectum; non coactione, sed naturae conditione, secundum quam subest Patris dispositioni.

Explicatur locus 1. Cor. 15.

ARTICVLVS II.

Utrum Christus sit subiectus sibi ipsi?

NOTAT id dupliciter posse intelligi. 1. ut sit dictum ratione hypostasis. 2. ratione naturae. Si priori modo intelligatur,

Respondet negatiue; quia per hanc propositionem & formam loquendi denotaretur pluralitas personarum in Christo, quod est haereticum & Nestorianum.

Respondet autem affirmatiue, si praedicatum tribuatur ratione naturae, scilicet humanae; nam ratione huius potest dici subiectus sibi ipsi, minor seipso, prout scilicet existente in natura diuina.

Cautio autem quam articulo praecedenti S. Thom. adhibuit, longè potiori iure hic est adhibenda, ut etiam idem annotat; quia si dicatur sine addito, *Christus est sibi subiectus*, faciliè poterit videri denotari distinctionem suppositorum.

Potest questio dupliciter intelligi.

Cautio adhibenda.

DVBIVM I.

Utrum Christus proprie possit dici seruus?

EX dictis constat Christum verè & proprie dici subditum seu subiectum; cum in eo fuerit natura humana, quae eo ipso quo habet esse ab alio, se & sua omnia debet alteri cuius subest dispositioni. Queritur num similiter verè & proprie dici possit seruus etiam secundum naturam humanam.

Valquez disput. 80. cap. 3. censet definitum esse ab Adriano 1. & à Concilio Francofurtensi, negare Christum posse dici seruum, neque eius humanitatem post vnionem, seruilem statum habere; quod ostendit ex epistola Pontificis ad Episcopos Hispaniae ante medium, vbi ait: *tanta nimium vos temeritatis demeritis delinquit, ut adoptiuum eum Filium quasi purum hominem calamitati humanae subiectum & (quod pudet dicere) seruum eum impj & ingrati tantis beneficijs liberatorem nostrum non pertimescitis venenosam saucem susurrare: cur non venimini queruli obretractores, Deo odibiles, illum seruum transcurrere, qui vos de seruitute diaboli liberauit? & infra; nam & si in umbra prophetiae dictus est seruus, propter seruilem formam conditionem quam sumpsit ex Virgine, &c. nunquid propterea seruus ei nomen imponere debemus? Et post aliqua interiecta: Postquam autem cessauit umbra veritatis & ipsa in promptu manifestata est veritas;*

6.

Sensus quaestionis.

Neg. Vasq. & putat definitum.

Adrian. 1.

N

que sub

quæ sub allegorica sylula latebat nusquam cum à patre seruum vocatum legimus, sed filium, & dilectum, & suum.

Conc. Fran-
cof.

Item ex epistola Concilij Francofurdienfis ad Episcopos Hispanie versus finem: intellige in hac professione vestra duplices diaboli fraudes latuisse doctos, &c. dum & dominum nostrum Iesum Christum, quem Deum colimus & adoramus, seruum prædicatis & adoptiuum. Et longè post medium. Et si eum Propheta nominasset, non tamen ex conditione seruus, sed ex humilitatis obedientia quæ factus est Patri obediens usque ad mortem.

Prob. ex Pa-
trib.
Chrysost.

Probat ex Patribus; Chrysost. homilia 13. in epistolam ad Hebr. in illa verba: hoc quippe semel fecit, ita scribeate: Ne putes eum suum stare & ministrum esse, ostendit quia dispensationis res ista est: sicut enim seruus factus, sic etiam Pontifex & minister. Sed sicut seruus factus non mansit seruus, sic & minister factus non mansit minister; non enim minister est sedere, sed stare.

Leon.

Leone 1. serm. 2. de natiuitate. Assumpta est de matre Domini natura, non culpa; creata est forma serui sine conditione seruili (aliàs virili) qui nouus homo sic contemperatus est veteri, ut & veritatem susceperet generis & viciu excluderet viciu.

Damasc.

Damasceno lib. 3. de fide cap. 21. Quin illud quoque secundum est, cum ne seruum quidem dicere nobis liceat; seruitutis enim ac dominationis vocabula non naturas indicant, sed ex eorum sunt genere quæ ad aliquid referuntur &c. nam quemadmodum de ignorantia à nobis dictum est, si ex illius quibusdam cogitationibus, id est subtilibus mentis imaginationibus, id quod creatum est ab eo quod increatum est existimemus, sane seruili ordinis esset caro, nisi Dei Verbo copulata esset: ac cum iam ei personaliter unita sit, quoniam iam pacto in seruilem classem redigetur? & post pauca. Nam cum unus Christus sit, sui ipsius perfectio & seruus & dominus esse nequit; hæc enim non ex eorum numero sunt quæ simpliciter dicuntur, sed quæ cum aliquo conferuntur. ex quo perspicue constat eum appellatione duntaxat ac nomine seruum dici, cum hæc minime sit; verum nostra causa serui formam suscepit ac seruus nobiscum vocatus sit, ex quibus in fine concludit; qui seruum eum dicunt, unum Christum insinat Nestory in duos diuidunt. consimilia habet lib. 4. cap. 19.

Atham.

His adiungi potest Athanas. serm. 3. contra Arianos, ubi ait Christum interdum vocari seruum appellatione, non veritate; ad eum modum quo filius se solet seruum nominare. infra adducēs differentiam ab Apostolo allatam. Heb. 3. Et Moyses quidem fidelis erat in domo eius tanquam famulus; Christus vero tanquam Filius in domo sua. Cui consentit Aug. tract. 3. in Ioannem in illa verba: Lex per Moysen data est &c. per seruum lex data est, per imperatorem indulgentia, & infra; seruus agere secundum legem potest, soluere à reatu legi non potest. Plures omitto passim ab eo & alijs citatos.

Heb. 3.

Augst.

8.

Prob. de
nique ra-
tionibus.

Probat etiam rationibus; seruus non communicat in bonis & honoribus domini; atqui Christus etiam ut homo communicat in bonis & honoribus Dei; cum humanitas in Christo substantia liter unita Deo & ad esse personale diuinum euecta; Christus etiam quæ homo est Filius Dei naturalis, non verò adoptiuus; item quæ homo eadem patria cum Deo adoretur. Quamvis ergo humanitas ex conditione nature suæ fuisset serua si non fuisset unita Verbo, nihilominus re ipsa nunquam fuit; quia propter unionem hypostaticam effecta est particeps eiusdem honoris, maiestatis & tituli, atque adeo libera, ut bene docet Damasc. cap. 21. citato. Propter hæc ergo & similia Vasquez negat Christum etiam in quantum

hominem posse vlla ratione dici seruum, vel humanitatem Verbo unitam posse fortiri eam denominationem.

Ceteri recentiores constantissime docent aliquo tandem genere seruitutis Christum dici & esse seruum. Videri possunt Caiet. & Medin. hic. Aluarez disp. 74. concl. 2. Lorca disp. 78. num. 12. Valentia disp. 1. q. 20. puncto unico. Suarez disp. 44. sect. 1. §. hæc quæ in his. Ragusa tomo 2. de Incarnatione disput. 16. qui plures citat; & plures Scripturæ interpretes in illud ad Philipp. 2. formam serui accipient; ubi Euthim. Cornelius & alij; est quæ expressa sententia S. Tho. his articulis, qui eam non obiter attingit: art. 1. ad 2. censet Christum posse dici Patri subiectum vel seruum secundum naturam humanam. Idem docet art. 2. in corpore, & responsione ad 2. & 3. & eodem art. ad 1. explicat Cynillum & Damascenum quod negent Christum esse seruum sui, secundum quod per hoc importatur pluralitas suppositorum.

Et quidem Christum in veteri testamento saepius vocari seruum certius est, quam ut pluribus ostendi debeat: eundem esse seruum secundum naturam humanam pluribus locis in nouo testamento indicari contendit Suarez scd. citat. quibus prætermittis

Prob. ex Patribus qui plurimi citantur à Suarez & Lorca disputationibus citatis: paucos producam. Primus sit Athanas. sermone 3. contra Arianos, ubi ait: quatenus in confessione est eum hominem esse factum, nihil discriminis attulerit, siue seruus, siue Filius hominis appelletur. Omnes enim istiusmodi vocula in ratione humanitatis bene & propriè competunt, illaque nomina non substantiam Verbi, sed hominem fuisse demonstrant. In quo testimonio notandum quod dicat vocem, serui, in ratione humanitatis propriè competere, non solum quod secundum se sit seruilis conditionis, sed quod ut est in Christo eandem denominationem fortitur, & ratione illius eandem fortitur Christus: nam agit de illa prout est in Christo, & ratione cuius Christus dicitur seruus. Notandum etiam quod asserat nomen serui demonstrare Verbum factum esse hominem, quasi dicat, quia omnis homo est seruus, nomen serui tributum Christo cum hominem fuisse demonstrat.

Cyrril. lib. 12. thesauri cap. 15. circa finem. Serui Dei nos sumus secundum naturam, ipse dominus quidem secundum naturam, quia Deus, sed seruus factus est, quia verè homo. Ambros. lib. 5. de fide cap. 6. Non igitur præiudicat quod subiectus dicitur, cui non præiudicat quod seruus legitur. August. epistola 178. circa finem. In qua infirmitate humanitatis non solum subditum, sed etiam seruum euidentissimè consuevit ipso dicente in prophetia, ad Patrem: O domine ego seruus tuus &c. patet ergo in quo sit aequalis Patri Filius, in quo sit non solum subditus aut inferior, sed etiam humillimus seruus.

Ex his & quàm plurimis alijs Patribus passim citatis, qui dicunt Christum hominem fuisse seruum, patet nullo modo posse asseri quod repugnet fidei vocare Christum seruum secundum humanitatem, seu quatenus est homo.

Patet etiam nullo modo esse probabile quod Adrianus 1. & Concilium Francofurdienfe voluerint absolute definire Christum nullo sensu verè & propriè dici seruum; cum Pontifices & Concilia non soleant quidquam definire contra torrentem sanctorum Patrum.

Nec elidi potest hæc ratio dicendo Patres, qui

vocant

vocat Christum seruum, semper fuisse improprie locutos. 1. cum non sit verisimile tot Patres in eam propositionem conuenientes semper fuisse improprie locutos, praesertim cum plerique illorum ita loquantur, agentes contra haereticos & rem dogmaticae tractantes. 2. cum aliqui expresse asserant quod proprie sit seruus. 3. cum Patres asserentes Christum esse seruum eam rationem afferant, ex qua colligi possit eos loqui proprie, & agere de seruitute proprie dicta, quod scilicet sit homo, quasi dicant ex eo quod sit homo concluditur eum esse seruum, cum natura humana etiam in Christo non extrahatur ab ordine creaturae, & proinde à conditione seruae, & per consequens Christus ratione naturae humanae potest dici seruus. In qua ratiocinatione supponunt creaturam esse verè & proprie seruam, quod (seposita saltem humanitate in Christo) nullus negare potest.

Ex his & similibus conficitur Adrianum non voluisse definire Christum nullo tandem modo posse esse & vocari seruū, sed solum in sensu quem intendebant Elipandus Toletanus Archiepiscopus, & Felix Episcopus Vrgelitanus.

Conf. si illi solum intendissent Christum esse seruum in sensu Patrum & comuni Scholasticorum, ut summum fuissent improprie locuti, propter quam locutionem improprie Pontifex non potuisset prudenter tam acriter in illos agere. Fuit ergo alius illorum sensus. Videntur igitur voluisse Christum ita esse & dici seruum, ut non esset Filius Dei naturalis, sed solum adoptiuus; & proinde videntur censuisse non esse vnum & idem suppositum humanitatis & deitatis in Christo, atque adeo videntur secuti errorem Nestorij; quod auctores varij colligunt tum ex illorum confessione, tum ex epistolis Adriani & Concilij Francofurtensis. Videntur etiam illi attribuisse seruitutem ortam ex peccato. His praenotatis

Vt de re ipsa dicam quod videtur probabilius. Praeter seruitutem ex peccato ortam, de qua Christus dominus dicit Ioannis 8. qui facit peccatum seruus est peccati,

Notandum duplicem aliam esse seruitutem; nam legalem, legibus scilicet & humano iure introductam; naturalem alteram, quae conditionem creaturae consequitur. Constat Christum nec fuisse nec potuisse esse seruū, sicuti legale, cum ea seruitus sit vilis, & magnam dicat imperfectionem, quae Christo nequaquam potest conuenire.

Conf. haec seruitus contrahitur vel iure belli, vel ex eo quod aliquis nascatur matre serua, vel 3. quod in seruū sit venditus, vel 4. iussu iudicis sententia. Ex nullo autem istorum titulorum Christus contraxit legalem seruitutem.

Restat igitur controuersia de seruitute naturali, quam Vasquez etiam negat conuenisse Christo vel eius humanitati: alij verò communiter asserunt. quae controuersia possit aliquo modo censeri de nomine, ut aduertit Becanus de Incarnatione cap. 16. q. 2. num. 10. in qua tamen

Videtur omnino probabilius quod Christus in quantum homo sit seruus; & similiter eius humanitas sit serua.

Prob. seruitus naturalis nihil est aliud quam conditio quaedam in creatura, per quam creatura quae esse habet ab alio, scilicet Deo, ei pleno iure subest, & perfecte eius dispositioni subijcitur, ita ut Deus de illa possit prout libuerit disponere;

quae conditio est inseparabilis à creatura.

Prob. ex Sap. 16. *Creatura sibi factori suo deserviens.* Sap. 16. Vbi omnis creatura, quia creatura, dicitur Deo seruans.

Conf. ex sacris Doctoribus, qui vnumquodque ens creatum, etiam Angelos, censent esse Dei seruū. hinc

Prob. conclusio: Natura humana in Christo est & remanet creatura, debetque Deo omne obsequium, & perfecte subest Dei dispositioni, à quo & perfectius dependet quam vllus seruus legalis à domino; ergo in Christo remanet serua, & Christus ratione illius potest dici seruus.

Vasquez censet ad rationem seruitutis naturalis ultra conditionem à nobis explicatam, requiri ut seruus non communicet in bonis domini, in honore, in sede.

Verum frustra id requirit; cum non possit colligi ex Patribus, sed potius contrarium; nec vllus Doctorum eam conditionem requirit.

Conf. beati in caelo regnantes sunt verè serui seruitute naturali: similiter & iusti; quamuis sint amici Dei & Filij eius adoptiu, heredesque regni caelestis; igitur communicatio in bonis domini non impedit quò minus seruitus naturalis remaneat in creatura.

Quod si dicatur non quamlibet communicationem impedire, sed solum eam per quam natura cūctitur ad esse personale diuinum; petitur, cur haec potius impediatur quam alia; cum prior, licet minus excellens, tamen sit vera communicatio in bonis domini, cuius negationem requirit Vasquez ad rationem seruitutis: ergo si haec non obstat, neque obstat strictior coniunctior & excellentior communicatio.

Ex quibus patere potest solutio rationum quas pro sua sententia adfert.

Ad 1. enim dicitur quod communicatio in bonis non obstat quò minus natura humana in Christo sit & remaneat serua; quia non obstante huiusmodi communicatione remanet creatura, cum longè maiori dependentia à Deo quam sit dependentia serui à domino.

Ad 2. dico non repugnare esse Filium Dei naturalem, & seruum secundum naturam creatam: quia secundum illam est verè inferior, subditus & dependens.

Ad 3. similiter, Resp. quod cultus latræ qui exhibetur Christo homini non obstat eiusdem seruituti.

Conf. non obstante tali honore illi exhibito, tenetur seipsum ut Deum & alias diuinas personas colere cultu latræ. Quemadmodum ergo tituli honoris qui Christo homini exhibentur, non obstant quò minus ille ut homo subdatur sibi tanquam Deo, &c; non obstant etiam quò minus sit & dicatur Dei seruus, quia non communicat huiusmodi bona & titulos cum aequalitate; v. g. Christus ut homo non est omnipotens, principium omnium rerum, sanctus per essentiam, &c.

Denique non obstat quòd natura humana in Christo cūctatur ad esse personale Verbi sit maxime ingenua, quia ex dictis patet naturalem seruitutem non repugnare ingenuitati, sed cum illa possit consistere; nec esse vilem, sed honorabilem; cum sit honorificum Deo subesse, imò quanto magis quis illi subest & seruit, tanto ampliori honore sit dignus.

15.

Ratio Vasquez rejicitur.

16.

Satisfit argumentis contrarijs.

Replica.

Dices seruus legalis tollitur per matrimoniū: si enim Rex ducat seruam in uxorem, ea redditur libera; ergo etiam tollitur naturalis per vñionem hypostaticam, per quam Christus est, & dicitur Filius Dei naturalis etiam secundum humanitatem.

17.

Diluitur
dupliciter.

Resp. 1. non duci legitimum argumentum à seruitute legali ad naturalem; cum illa, vt iure humano introducta est, ita possit eodem iure certis casibus tolli: naturalis verò non oriatur ex positua voluntate alterius, sed ex ipsa conditione creaturæ, quæ proinde ab ea tolli non potest. Conf. seruus legalis tollitur per adoptionem; cum tamen omnium sententiā constet filiationem adoptiuam non tollere seruitutem naturalem.

Resp. 2. negādo consequ. quia per matrimonium cum Rege, similiter per adoptionem, iure humano tollitur potestas herilis & persona redditur sui iuris: potestas verò Dei in creaturas ratione cuius dicitur earum Dominus, nulla mutatione status ipsius creaturæ tolli potest, & proinde non potest tolli in ea ratio seruitutis.

18.

Non potest
dici seruus
sui ipsius si-
ne addito.
Conc. Alex.
Ephesin.

Explicatā ipsā re inquiri potest num Christus dici possit seruus sine addito?

Et quidem constat non posse dici seruum sui ipsius sine addito, quia tali locutione designaretur personarum distinctio, & similis propositio damnata est in Concilio Alexandrino in epistola 10. Cyrilli, quam recipit Concilium Ephesinum; cum addito tamen dici potest, v.g. *Christus in quantum homo est seruus sui*.

Quoad alias personas, vt minimum conuenientius est addere eandem particulam aut similem; *Christus in quantum homo*, vel, *secundum naturam humanam est seruus Patris*; ne alioquin videatur indicari inferioritas ipsius personæ secundum se, vel quodd ipsum suppositum secundum se sit sub dominio Patris. Vbi tamen tale periculum non subest fortè simpliciter dici possit, *Christus est seruus Patris*.

19.

Restat respondere ad auctoritates tum Adriani & Concilij Francofurdiensis, tum Patrum initio dubij allatas.

Ad Adrian.
primum &
Concil. Fran-
cofurdiense
cap. 3. 4. & 5. Prima est quod non constat de huius-
modi epistolis. 2. quod Pontifex & Concilium
non voluerint quidquam definire de seruitute, sed
obiter tantum de illa egerint, cum ex proposito
egerint de adoptione. 3. quod solum voluerint con-
demnare Elipandum docentem Christum ex spiritu
timoris & coactè esse seruum. 4. esse potest quod
solum voluerint condemnare propositionem, ne
determinatione positam, quæ explicatio nullo mo-
do est probabilis; si enim Elipandus aliàs rectè
senserat, non est verisimile tam acriter condemna-
tum propter propositionem vt summum minus
cautè prolata.
Resp. ve-
rior.Error Fel-
icis & El-
ipandi

5. responsio in qua recentiores communius con-
quiescunt est quod tam Pontifex quam Concilium
damnauerint propositionem *Christus est seruus*, in-
tellectā cum distinctione suppositi, & de seruitute
orta ex peccato. Videri potest Lorca disputatā
num. 22. Suarez sect. 1. §. *vera ergo intentio*, & seqq.
Christum esse seruum ex errore Nestoriano, seu
distinguentes eum supposito à Filio Dei naturali,
& proinde ex sua conditione fuisse obnoxium vili
seruituti ortæ ex peccato.

Prius colligitur ex epistola Concilij, quomodo am-
plius gloriæ sibi seruus sicut & Moyses vel ex seruo adop-
tius; vbi comparando illum Moyse Conciliū indi-
cat illos sensisse Christum esse purum seruum, &
distinctum supposito à Filio naturali. & infra. *Sed*
nescio ex quo seruo adoptatus in filietatē vt vos dicitis. &
infra: nonne olim eadem hæresis vestrā in Nestorio ab-omi-
neris sancta Ecclesia resutata est etiā & damnata: & paulo
pōt. quid est aliud dicere eandem Virginem adoptiuū vel
seruum genuisse, nisi negare Deum illam genuisse? Videri
etiam possunt verba Adriani initio citata.

Posterior colligi potest ex eodem Adriano loco
citato, vbi acriter redarguit quod nō pertimescant
liberatores nostrum seruum suffragare, quasi di-
cat, impiè peccati seruum dicitis eum qui alios à
peccato & eius seruitute liberauit. Conciliū Fran-
cofurdiense in fine epistolæ dicit: nos per illum à ser-
uitute liberati (non vtique aliā quam peccati) non ille
nobiscum seruus. In eadem epistola Concilij, sed &
hoc volumus à vobis audire, an Adam primus humani
generis pater, qui de terra virgine creatus est, liber esset
conditus sine seruitute si seruus, quomodo tunc imago Dei? si
liber, quare & Christus quoque non ingenuus de Virgine?
& infra: unde Adam fuit seruus factus nisi ex peccato: ad
hoc ergo collimant Pontifex & Concilium vt hu-
iusmodi seruitutem excludant à Christo, scilicet
excludentem filiationem naturalem & ortam ex eo
quodd ex sua cōditione posset esse obnoxius peccato.

Dices videri amplius velle, cum Pontifex loca
scripturæ quibus vocatur seruus interpretetur, &
velit nonnisi allegoricè dicta de illo, & nunquam
in nouo testamento vocatum seruum.

Resp. negando assumptum: solum enim vult
non dici seruum quasi à Deo alienum, sed propter
formā serui quam assumpsit. ad cuius rei aliquam
declarationem docet in nouo testamento non fuisse
eo nomine appellatum, sed Filium, vt scilicet
ostenderet non ita esse seruum vt non sit simul Fi-
lius naturalis.

Ad Chrysostomū Resp. ex verbis in argumento
allatis patere eum non negare Christo cōditionem
serui secundum naturam humanam, sed solum ex-
ercitium in cælo: vult enim in cælo non obire ser-
ui munia, quæ interdum obijt dum in hac vita ver-
saretur. De cætero Chrysostomū existimare Chri-
stum secundum naturam humanam esse seruum,
patet ex hoc ipso loco, cum non videatur censere
Christum minus verè & propriè esse seruum quam
Pontificem.

Ad Leonem Resp. eum solum velle excludere à
Christo seruitutē ortam ex peccato, vt clarè patet
ex sententiā citata, & ex toto discursu Pontificis: de
qua seruitute solum intelligendus est Emissenus cita-
tus à Vasquez, vt satis patet ex verbis ab eo allatis.

Ad Damascenum Resp. eum solum velle exclu-
dere seruitutem cum suppositi distinctione, in sen-
su scilicet Elipandi, per quam aliquis constituitur
purus seruus, non etiam sit filius naturalis item ser-
uitutem ortā ex eo quod natura in Christo posset
esse peccato obnoxia, quam seruitutem natura hu-
mana contraheret si non esset substantialiter Verbo
consequentem cōditionem & rationem creaturæ.

Idem est sensus Athanasij & Augustini, qui so-
lum volunt negare Christum esse purum seruum
& famulum sicut fuit Moyses; & quod licet inter-
dum seruus sit appellatus, non sit tamen purus ser-
uus, sed sit etiam Filius. de cætero Athanasij sen-
tentiā Christum vt hominem esse purum seruū patet
ex eadem oratione loco à nobis citato. Obiter

Aduerte

Aduerte in loco relato pro sententia Vasq. non haberi verba ab illo citata, sed solum colligi eorum sensum ex alijs verbis S. Athanasij hinc inde positis. Patet etiam ex epistola citata Augustinum sentire nobiscum.

D V B I V M II.

Verum Christus fuerit subiectus legibus communiter datis hominibus?

SUPPONO Christum in quantum hominem fuisse capacem precepti, cum omnis voluntas creata & natura intellectualis creata, quæque habet superiorem, possit illius legibus subijci. Conf. subiectio Christi quoad naturam humanam, fuit subiectio secundum modum & conditionem naturæ rationalis; modus autem subiectionis naturæ rationalis est vt possit adstringi præcepto superioris.

Nec obstat quod supra q. 15. censuerimus cum communi Doctorum sententia, naturam humanam prout est in Christo non posse peccare; quia non est deratione præcepti, vt natura & persona quæ subditur legi peccare possit; neque præceptum necessarium requirit vt inferior possit deficere, sed sufficit quod possit subijci virtuti directiæ alterius, & quod eius actiones possint ab alio dirigi; quod inuenitur in Christo secundum naturam humanam.

Conf. exemplo beatorum qui licet per statum suum peccare nequeant, non desunt esse capaces præcepti, imò reipsa subijci præceptis naturalibus.

Ex quibus patet non etiam ob stare, quod Christus etiam secundum naturam humanam sit ad bonum determinatus; quia non obstante eo quod beati per clarum Dei visionem determinentur in actu primo ad bonum, sunt capaces præcepti. Adde humanam Christi voluntatem in se & intrinsecè non esse ad bonum determinatam; ergo potest recipere præceptum à superiore cui subijcitur.

Dices videtur esse de ratione legis tacita quædam comminatio, quæ superior comminatur subdito, si non faciat id quod præcipitur.

Resp. 1. negando assumptum.

Resp. 2. si talis comminatio sit de ratione legis, sufficere vt ea ferri possit in ipsam voluntatem secundum se spectatam.

His præmissis dubium est num fuerit reipsa alijs quibus præceptis subiectus? Victoria vt refert Medina q. 37. huius partis, censuit Christum nulli fuisse subiectum: verum contrarium est omnino verius. Vnde

Dico 1. Christus quæ homo reipsa fuit obligatus seruare præcepta naturalia; quia omnis natura intellectualis eo ipso quo habet superiorem, vi legis naturæ tenetur quædam vitare, quæ ex sua natura displicent superiori; & obligatio legis naturalis est conditio necessariò concomitans intellectualem naturam creatam: cum ergo natura humana in Christo habeat superiorem, sequitur eam necessariò adstringi præceptis naturalibus, ijs scilicet quorum materia potest inueniri respectu illius, & proinde quod Christus ratione naturæ humanæ iisdem adstringatur.

Dico 2. non fuit adstrictus vlla lege humana. In hac conclusione communiter conueniunt Doctores.

Prob. Christus etiam vt homo erat caput om-

nium hominum & supra illos omnes, atque adeo potestate cuiusdam excellentiæ erat perfectus omnium dominus: non ergo fuit obligatus illorum legibus & præceptis, cum superior non obligetur legibus inferioris.

Conf. Reges & Principes tenebantur illi etiam vt homini obedire; ergo nullam in eum habebant potestatem & iurisdictionem, & quod inde sequitur non poterant eum suis legibus adstringere: id quæ subindicat ipsemet Christus, cum ostendit Matth. 17. se non obligari ad soluendum tributum etiam eo titulo quod vt homo esset Filius Dei naturalis, tacitè docens naturalem Dei Filium non esse obligandum præceptis hominum.

Quod si sese Matri subiecerit & Iosepho, vt habetur Lucæ 2. id sua sponte fecit, vt nobis humilitatis & obedientiæ exemplum præberet; non verò quod eorum præceptis obligaretur, cum esset illorum dominus.

Dico 3. neque videtur adstrictus vlla lege diuina communiter data hominibus.

Et quidem de lege noua patet, ex eo quod fuerit auctor illius, eamque tulerit de ijs, quæ ad illum nullo modo spectabant; cum omnia præcepta quæ tulit in lege Euangelica sint de rebus fidei & de Sacramentis, quorum proinde præceptorum materia in illo non habebat locum.

De lege verò antiqua Prob. ea solum fuit data Filijs Israel, & descendantibus ex ijs per seminalem propagationem, iunctis Proselytis; ergo illa lex nullo modo comprehendit Christum. Solet hæc res pluribus congruentijs ostendi: sed hæc vnicuique videtur ratio litteralis, id quæ insinuat Christus Matth. 12. cum Iudæis calumniantibus quod sabbatum non seruaret, respondit; *Dominus est Filius hominis etiam sabbati.*

Obijci potest 1. quod ratione circumcissionis fuerit subditus legi veteri.

Resp. neg. assumptum, & dico quod neque obligatus fuerit suscipere circumcissionem, neque propter illam susceptam fuerit adstrictus legi; quia ij soli tenebantur legem seruare propter susceptam circumcissionem, qui per eam se Iudæis aggregabant: Christus verò non fuit circumcissus propter huiusmodi rationem, sed propter longè alias, quas recenset S. Th. infra q. 37. art. 1. in corpore, & Tolet. annotatione 30. in caput 2. Lucæ.

Primo vt ostenderet veritatem carnis suæ. Secundo vt ostenderet se non solum carne constare, sed etiam consubstantiali nostræ. Tertiò vt hac ratione ostenderet legem circumcissionis non esse malam, & non improbandam tanquam in se malam. 4. ne Iudæi fumerent occasionem illum reiiciendi tanquam incircumcissum & qui non esset de genere Abraham. 5. vt illam commodè postmodum posset tollere. Has & alias causas vide deductas apud Tolet. supra.

Obijci potest 2. Apostolus ad Gal. 4. dicens, *misit Deus Filium suum factum sub lege.*

Resp. Apostolum nolle significare Christum fuisse legi subiectum, sed eam sua sponte adimpluisse quantum decuit, citra tamen obligationem: fuit ergo sub lege quoad vsum & factum, non quoad ius & obligationem.

Obijci potest 3. Christus Matth. 5. ait, *non veni legem soluere sed adimplere.*

Resp. nihil hinc posse confici; quia aliqui censent Christum velle, se adimplere legem sicut donatio implet promissionem, & veritas figuram. Alij ita explicant vt nullo modo faueat sententiæ,

Matth. 17.

25.

Matri & Iosepho se subiecit ad exemplum. Luc. 2.

3. Conclus. Non videtur fuisse adstrictus vlla lege diuina communiter hominibus data.

Matth. 12.

Obiectio 1.

Resp.

26.

Rationes varæ cur Christus circumcissus sit. S. Thom.

Obiectio 1.

Gal. 4.

Resp.

Obiectio 3.

Resp.

27.
Explicatur
locus
Matth. 5.

quæ adstruit Christum fuisse subiectum legi Mo-
saica. Germanus sensus videtur esse quod Chri-
stus tanquam Doctor, seu suâ doctrinâ non velit
legem veteris destruere, sed suâ explicatione com-
plere, contra peruersam Phariseorum explicatio-
nem; quod patet ex antecedentibus & consequen-
tibus: dicit enim *nisi abundauerit iustitia vestra plus-
quam Scribarum & Phariseorum, &c.* & paulo post ex-
plicat aliquot præcepta, adiunctâ sanâ interpreta-
tione contra contortam Phariseorum expositionem.
Videri potest Hieron. lib. 1. cōmentariorum
in Matth. item Maldonatus in hunc locum. Adde
quod Christus potuerit adimplere legis præscri-
ptum, licet nullâ legis obligatione ad id teneretur.

Hieron.

DUBIUM III.

*Utrum Christus alicui speciali præcepto
fuerit subiectus?*

28.

Negat Vi-
ctoria.
Lorca.
Affirm.
S. Thom.
Medin.
Becan.
Tolet.

NEGAT Victoria superiori dubio citatus:
Lorca disp. 73. num. 11. & quidam alij.

Affirmat S. Th. q. 47. art. 2. in corpore, & clarè
responsione ad 1. videri etiam potest responsio ad 2.
Med. hic responsione ad 2. Becan. cap. 16. q. 1. concl.
4. Tolet. in caput 10. Ioannis annotat. 14. & plures
alij: quorum sententia videtur probabilior. Vnde

Quos se-
quitur Au-
ctor.

Resp. & dico habuisse speciale præceptum ge-
nus humanum docendi, & illud per mortem &
passionem suam redimendi; vbi

Quo sensu
Christus
habuerit
præceptum
moriendi.

Notandum præceptum moriendi non ita intel-
ligi quasi ratione illius Christus debuerit mortem
suam cum omnibus circumstantijs procurare; id
enim dici nequit; cum in eo inuoluatur peccatum
crucifigentium, quod Christus nullo modo potuit
procurare: sed hoc sensu accipitur quod Pater ei
præcepit ut genus humanum doceret, & si Iudæi
eum vellent occidere, non se subtraheret, sed mor-
tem pro genere humano patienter perferret: hoc
prænotato

29.
Prob. reso-
lutio.
Ioan. 10.

Prob. conclusio. Ioannis 10. Christus dicit, *hoc
mandatum accepi à Patre meo*, scilicet ponendi ani-
mam meam pro ouibus meis, de quo mandato agi
patet ex antecedentibus.

Dices ibi eodem modo dicitur habere manda-
tum iterum sumendi animam, scilicet per resurre-
ctionem, quo eam ponendi; nam immediatè ante
sententiam citatam dicit, *nemo tollit eam à me* (scilicet
animam) *sed ego pono eam à me ipso*; & potestatem
habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi
eam, tum subdit; *hoc mandatum accepi à Patre meo*. At-
qui non accepit strictum mandatum resurrectionis.

Resp. negando assumptum: ad probationem di-
co patere ex textu Christum non referre illam par-
tem, *hoc mandatum accepi à Patre meo*, ad totam sen-
tentiam, sed ad illam partem, *ego pono eam à me ipso*.
vult enim nullâ vi humanâ posse sibi vitam eripi,
sed quod ex præcepto à Patre sibi dato eam liberè
exponat pro salute ouium suarum, & idcirco à Pa-
tre diligitur propter huiusmodi obseruantiam &
promptitudinem ad implendum tam rigidum præ-
ceptum.

Ioan. 14.

Ioannis 14. in fine. *Et sicut mandatum dedit mihi Pa-
ter, sic facio, surgite eamus hinc*, scilicet obuiam Iudæis.
Hic rursum agi de mandato moriendi patet, ex eo
quod toto capite discipulos hortetur ad patien-
tiam, fortitudinem & constantiam, & ne ob eius
discessum turbentur.

Cap. 15. si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dile-
ctione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruauit, &
maneo in eius dilectione. Ioan. 15.

Conf. ex hoc loco non potest aliud colligi quàm
Christum ita recepisse præceptum à Patre, sicut
Apostoli receperant ab eo præcepta; & præceptum
vtrouque loco videtur eodem modo sumi: atqui
cum agit de præcepto Apostolis dato, præ-
ceptum sumitur in stricta significatione; ergo eo-
dem modo sumitur cum agit de præcepto sibi da-
to à Patre.

30.

Ex his & similibus locis si proprietatem vocis,
præceptum, & mandatum, &c. spectemus, habemus Chri-
stum habuisse verum & propriè dictū præceptum:
atqui nihil est quod cogat hæc accipere in signifi-
catione impropria; ergo iuxta regulam interpre-
tandi Scripturam, debemus accipere in propria si-
gnificatione; secundum quam dicendum est Chri-
stum subiectum speciali præcepto moriendi. Minor
prob. si quid obstar, esset quod Christus etiam
secundum naturam humanam non esset capax præ-
cepti, cuius tamen contrarij superiori dubio ostendimus,
& videtur passim supponi; vel quod tale
præceptum repugnet eius libertati, præsertim
posito quod fuerit beatus; sed neque id obitare
ostendimus q. 18. vbi ostendimus quomodo cum
præcepto potuerit liberè mortem acceptare.

Dices subesse causam præceptum explicandi per
simplicem manifestationem voluntatis paternæ: si
enim dicamus impositum præceptum strictè sum-
ptum, videtur multum diminui de charitate Chri-
sti erga genus humanum, ex qua tamen dicitur
mortem subiisse.

Resp. negando per præceptum quidquam de ea
charitate diminui, & de cætero dico præceptum in
actu posse causare nouam honestatem. Vnde tan-
tum abest ut actus quo mortem accepit, fuerit
minus excellens, ut ex eo capite nouam contraxe-
rit excellentiam, scilicet obedientiæ, eodem actu
remanente perfectissimo in ratione charitatis; &
proinde ex eo capite non subest ratio explicandi
præceptum per simplicem manifestationem con-
tra proprietatem vocis.

Contra: sæpe Scriptura & Patres solum dicunt
Christum fecisse voluntatem Patris, venisse ut eam
faceret &c.

Resp. his & similibus formis loquendi non ne-
gare præceptum; cum qui implet præceptum ab
alio sibi impositum, optimè dici possit facere eius
voluntatem sibi manifestatam; cum voluntas ali-
cuius possit etiam per præceptum innoscere;
igitur propter huiusmodi locutiones non est quod
negemus strictum præceptum Christo imposi-
tum, cum alijs locis id videatur declarari.

Ex his manifestum est quod quamuis Christus
ex summa erga genus humanum charitate fuerit
paratus animam suam ponere, & licet sufficeret
manifestatio voluntatis paternæ ut illam poneret,
tamen propter exercitium obedientiæ & summe
submissiois erga Patrem potuerit illi præceptum
imponi.

Prob. 2. ex Ambros. lib. 5. de fide cap. 5. Christus
nobiscum est, ut per vniuersam obedientiam iusti constituantur
multi. Quo loco Ambros. tribuit obedientiam Chri-
sto; obedientia autem respicit præceptum pro-
priè dictum. Augustinus tract. 82. in Ioannem.
Manet ergo Filius in dilectione, quæ cum dilexit Patrem,
& ideo seruat præcepta eius. Quo loco illum agere
de præceptis propriè dictis patet ex antecedenti-
bus.

Prob. 3.